




HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY


SIGILLUM ACADEMIAE HARVARDIANAE IN NOV ANG
VE RI TAS
CHRISTO ET ECCLESIAE



S. D. P.

Zu

der öffentlichen Prüfung

aller Klassen

des

Königlichen katholischen Gymnasiums zu Leobschütz,

den 15. August 1850,

und zu der feierlichen

Entlassung der Abiturienten

am 17. August

ladet q. p. e. r. ein

der Director **Dr. Heinrich Kruhl.**

Inhalt:


1) Schulnachrichten vom Director.
2) De rerum scriptoribus, quibus Plutarchus in Themistoclis vita perscribenda usus est, disseruit C. Schilder.



Breslau,

Druck von Robert Lucas, Schuhbrücke Nr. 32.

1850.



De rerum scriptoribus, quibus Plutarchus in Themistoclis vita perscribenda usus est,

disseruit

C. Schilder.

Quum ad me provincia esset delata, ut annalibus scholasticis, quibus solemnes gymnasii nostri solent indici lustrationes, praefationis loco commentationem aliquam adiungerem: a Plutarcho Chaeronensi, quem iam ab ineunte aetate lectum relectumque adamaram, scribendi argumentum quoddam repetere in animum induxi. Neque pudet me fateri qui factum sit, ut lectionem Plutarchi per aliquot annos intermissam recolerem et ad eius me familiaritatem applicarem. Quoniam enim memoria tenebam quanti perciperentur fructus quum ex omnibus eius scriptis tum ex vitis quas vocant parallelis, quantum vitae illae conferrent non solum ad doctrinae copiam augendam, sed ad animi etiam aequitatem ac liberalitatem excolendam confirmandamque, ad regendum consilium, ad humanitatem denique amplectendam: confugi ad Chaeronensem meum, quotiescumque otium suppetebat, per hoc quod proximum est biennium civilibus fluctibus gravissimisque rerum publicarum turbis insigne, ut in vitis illis virorum illustrium legendis et considerandis vel animi aegritudinem ac tristitiam consolarer, vel laetitiae meae ex meliore aliqua rerum conditione perceptae quasi firmamentum quoddam et praesidium anquirerem, vel normam viamque investigarem ad res praesentes recte aestimandas ac ponderandas. Ac profecto quicumque animi quadam sollicidudine ductus ad illum scriptorem accesserit, is non nisi cum animo sedato ac tranquillo abibit. Afficiantur autem voluptate quadam necesse est vehementerque delectentur omnes, qui considerant cum suis animis, quanta cautione, quanta circumspectione, quanta lenitate usus sit Plutarchus in describendis metiendisque hominum illustrium moribus et consiliis, quam integre atque incorrupte de generibus et de rationibus civitatum disseruerit ac iudicaverit. Quanti aestimanda sit ista in iudicando modestia vel optime perspicitur nostra memoria, qua hominum turba partium studiis occaecata, et de rebus gravissimis et de hominibus, quotquot excelso sunt et illustri loco, praepropere et arroganter iudicare assuevit.

Quum vero multa habeant Plutarchi scripta, quibus legentium animi alliciantur ac teneantur, tum permultas in illo scriptore esse virtutes, quibus commendetur

homines descripserit non quales fuerint, sed quales fuisse ipse eos sibi finxerit animo. Alii reprehendunt in eo nimium quoddam studium hominum ingenia moresque sententiolis quibusdam et facete dictis adumbrandi et illustrandi; avidius enim illa eum arripuisse omnique iudicio omisso id tantum spectasse, ut iis tanquam flosculis et pigmentis orationem suam distingueret et exornaret. Ab aliis denique desideratur ingenii acumen ac sollertia illaque ars vera et falsa diiudicandi; nam manifestam esse aiunt eius dubitationem et haesitationem in rebus aestimandis ac ponderandis, magnam iudicii vel inopiam vel levitatem tum ubivis conspici, quum ex diversis sententiis eligenda sit una.

Quas criminationes non prorsus fictas esse atque falsas, sed veri aliquid iis subesse omnes concedant necesse est. Et sane prudenter facere eos, qui res antiquas perscrutantes in vitis Plutarchi usurpandis cautione quadam opus esse et diffidentia censeant, equidem minime negaverim. Sed ne iniquius de scriptore illo iudicemus neve desideremus, quae ipse a proposito suo aliena putabat, illos nos afferre Plutarchi locos aequum est, qui ad crimina illa vel infringenda vel minuenda sint idonei, quibusque ipse criminibus quae indicavimus quasi respondisse videatur. Descriptionem rerum gestarum, quae offensioni est quibusdam, mancam illam atque inchoatam, quam iam aequalibus non probatam fuisse licet coniicere, in vita Alexandri c. 1. probare studet his verbis: *Τὸν Ἀλεξάνδρου τοῦ βασιλέως βίον καὶ τοῦ Καίσαρος, ὑφ' οὗ κατελύθη Πομπήϊος, ἐν τούτῳ τῷ βιβλίῳ γράφοντες, διὰ τὸ πλῆθος τῶν ὑποκειμένων πράξεων οὐδὲν ἄλλο προεροῦμεν ἢ παραιτησόμεθα τοὺς ἀναγινώσκοντας, ἐὰν μὴ πάντα μηδὲ καθ' ἕκαστον ἐξειργασμένως τι τῶν περιβοήτων ἀπαγγέλλωμεν, ἀλλὰ ἐπιτέμνοντες τὰ πλεῖστα, μὴ συκοφαντεῖν. Οὔτε γὰρ ἱστορίας γράφομεν, ἀλλὰ βίους, οὔτε ταῖς ἐπιφανεστάταις πράξεσι πάντως ἔνεστι δήλωσις ἀρετῆς ἢ κακίας, ἀλλὰ πρᾶγμα βραχὺ πολλάκις καὶ ῥῆμα καὶ παιδιά τις ἔμφασιν ἤθους ἐποίησε μᾶλλον ἢ μάχαι μυριόνεκροι καὶ παρατάξεις αἱ μέγισται καὶ πολιορκίαι πόλεων* [3])

Qui autem imagines illas virorum excellentium in vitis parallelis expressas omni ex parte veras esse negant affirmantque eas splendore fucato nitere, ii quoque videant velim, ne severius de Plutarcho iudicent. Nam hac etiam in caussa perpendenda ac consideranda sunt ea, quae de sua ipse ratione viaque vitarum scribendarum memoriae prodidit. Saepius enim Plutarchus artem suam, in conscribendis virorum illustrium vitis adhibitam, simillimam dicit esse illi, qua pictores utantur, ut hominum effigies ad exemplum exprimant; neque pictorum esse existimat, siquid vitiosi sit in corpore et invenusti, id quam diligentissime exprimere, ut effigies hominum similes atque veras efficiant, neque vitarum scriptoris, quum sit humanum multis in rebus labi, hominum vituperationi magis quam laudi consulere. Sed ipsa Plutarchi verba ad rationem eius consiliumque intelligendum: aptissima afferre operae pretium videtur[4]). *Ὥσπερ γὰρ τοὺς τὰ καλὰ καὶ πολλὴν ἔχοντα χάριν εἴδη ζωγραφοῦντας, ἂν προσῇ τι μικρὸν αὐτοῖς δυσχερὲς ἀξιοῦμεν μήτε παραλιπεῖν τοῦτο τελέως μήτε ἐξακριβοῦν· τὸ μὲν γὰρ αἰσχρὰν, τὸ δ' ἀνομοίαν παρέχεται τὴν ὄψιν· οὕτως, ἐπεὶ χαλεπόν ἐστι, μᾶλλον δ' ἴσως ἀμήχανον, ἀμεμφῆ καὶ καθαρὸν ἀνδρὸς ἐπιδεῖξαι βίον, ἐν τοῖς καλοῖς ἀναπληρωτέον ὥσπερ ὁμοιότητα τὴν ἀλήθειαν. Τὰς δ' ἐκ πάθους τινὸς ἢ πολιτικῆς ἀνάγκης ἐπιτρεχούσας ταῖς πράξεσιν ἁμαρτίας καὶ κῆρας ἐλλείμματα μᾶλλον ἀρετῆς τινος ἢ κακίας*

[3]) Cf. quoque vit. Nic. c. 1.

[4]) Vit. Cim. c. 2. Conf. vit. Alex. c. 1.

πονηρεύματα νομίζοντας οὐ δεῖ πάνυ προθύμως ἐναποσημαίνειν τῇ ἱστορίᾳ καὶ περιττῶς, ἀλλ' ὥσπερ, αἰδουμένους ὑπὲρ τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως, εἰ καλὸν οὐδὲν εἰλικρινὲς οὐδ' ἀναμφισβήτητον εἰς ἀρετὴν ἦθος γεγονὸς ἀποδίδωσιν. Quae via quamvis lubrica sit et declivis, tamen optimam eam esse et rei maxime accommodatam, dummodo cautio quaedam adhibeatur atque provisio, non diffitebere, certe facere non poteris quin illam in Plutarcho animi excellentiam magnitudinemque admireris. Verum enim vero etsi iusto atque debito functi esse nobis videmur officio allatis iis, quae ad narrandi rationem suam viamque recte intelligendam Plutarchus ipse exposuit, tamen inde etiam apparet quantam vim habeat quaestio illa posita in examinanda scriptorum, quibus usus est Plutarchus, fide et auctoritate. Plutarcho, quum accederet ad vitam Themistoclis, viri fortissimi et inter aequales facile principis, describendam, auctorum quibus uteretur larga suppeditabat copia. Quanto enim studio et poetae et historici et philosophi et oratores elaborarint in celebrandis illis quibus floruit Themistocles temporibus in rebusque gestis, quarum vel auctor vel suasor ille fuerat, illustrandis et adornandis satis superque constat. Nec profecto est cur mireris, quod illorum temporum memoriam, quicumque hominum Graecorum vel ingenii facultate vel rerum civilium cognitione excelluerunt, tanta pietate coluerint et religione. Nimirum uti viri omnes in existimando prudentes, qui in ipso flore Graeciae erant, bellis Persicis quasi fundamenta libertatis et salutis publicae iacta et Themistoclem libertatis illius rerumque florentissimarum quasi parentem esse bene intelligebant, ita Graecorum optimus quisque, postquam fracta erat libertas et imminutae opes, non sine magno dolore temporum illorum memoriam repetebat. Quanta cum diligentia illam fontium copiam et ubertatem ad rem suam contulerit Plutarchus, ut iam uno quasi in conspectu videamus, auctores quos attulit omnes ad unum hoc loco afferendi videntur, tum ex genere dicendi tum ex temporum ordine dispositi. Sunt autem hi: Simonides, Aeschylus, Pindarus, Timocreon, Aristophanes, poetae; Plato, Aristoteles, Aristo, Eratosthenes [5]), philosophi; Andocides orator; Charon, Stesimbrotus, Herodotus, Thucydides, Clidemus, Phanodemus, Theopompus, Ephorus, Theophrastus, Phanias, Dino, Clitarchus, Neanthes, Diodorus (Periegeta), Phylarchus, Acestodorus, vel historici vel librorum ad historiam pertinentium scriptores.

Quod autem omisi disserere de poetis et philosophis et de oratore, qui inter illos scriptores commemorantur, id factum est quum propter angustos fines, qui praescripti sunt eiusmodi commentationibus, tum propterea, quod sententiae ex iis desumptae non tam valent ad imaginem Themistoclis adumbrandam quam ad eam luminibus exornandam et illustrandam.

Cap. I. De Herodoto.

Ad intelligendam rationem quam inierit Plutarchus in fontibus tractandis et citandis illud hac in Themistoclis vita peropportunum est, quod duos rerum scriptores, quos ille adhibuit, Herodotum et Thucydidem, etiam nunc integros habemus et incorruptos. Ex illis omnibus quos modo enumeravimus, auctoribus, quem potissimum Plutarchus sibi deligeret ducem, ad describendam Themistoclis vitae partem eam, qua vir ille summa florebat nominis auctoritate et laude, nullus aptior erat, quam

---

[5]) Eratosthenem, qui multiplici doctrinae atque eruditionis laude floruit, philosophis hoc loco adnumerandum putavi propter libri quem affert Plutarchus inscriptionem (περὶ πλούτου).

de malignitate Herodoti libro, qui Plutarchi nomine vulgo fertur, asperrime acerbissimeque vituperantur ac refelluntur[8]).

Nota est controversia inter viros doctos de auctore illius libri qui περὶ Ἡροδότου κακοηθείας inscribitur. Sunt qui libellum illum sophistae alicuius opus misere confectum dicant, alii Plutarchum revera eius auctorem esse contendunt. Utut hac de re in controversia posita statuitur, manifestum certe hoc est eandem ab Herodoto alienam voluntatem in vitis Plutarchi, quam in illo libello, apparere; id quod in dirimenda illa de auctore quaestione non praetermittendam videtur. Hac igitur animi offensione Plutarchus ita abreptus est, ut in aliorum auctorum sententias, licet minus essent probatae et ad veritatem accommodatae, praepropera quadam festinatione discederet aut levius ac negligentius versaretur in adhibenda Herodoti enarratione. Illius generis quod prius indicavimus exemplum ad rem accommodatum est in vita Them. c. 6, quo loco narrat Plutarchus, nescio quem auctorem secutus, interpretem legationis quae postularet aquam et terram a rege Athenas missae Themistocle suasore captum interfectumque esse. Haec autem Plutarchi sententia Herodoteae prorsus repugnat enarrationi. Is enim (lib. VII. 32) Xerxem, quum Sardes venisset, praecones, qui peterent aquam et terram, in omnes Graeciae civitates exceptis Athenis et Lacedaemone misisse memoriae tradit. Idem postquam eiusd. lib. c. 132 rettulit quid profecissent mandatis praecones illi populosque nominavit, qui Xerxi essent obsecuti, iterum pro certo affirmat Xerxem Athenas et Spartam non misisse legatos hac intermissae legationis addita caussa, quod Lacedaemonii et Athenienses in legatos a Dario missos contra ius gentium vim et manus intulissent. Et profecto nulla est caussa cur haec falsa esse credamus. „Iam vero (verba sunt Sintenisii hac de re in edit. vit. Them. p 41 scite disputantis) quum Themistoclis illud facinus ad primam Persarum expeditionem referri nequeat, si quidem id et nexui totius loci repugnat et reiicitur vel eo, quod Themistoclem ante pugnam Marathoniam ad rempublicam non accessisse pluribus constat veterum scriptorum testimoniis, mihi quidem veri simile videtur, falso hanc rem Themistocli tribui, praesertim quum Herodotus ubi haec narrat ne verbo quidem Themistoclis mentionem fecerit. Quare ego sic sentio, totam istam narrationem, qua Themistocle suasore haec gesta esse Plutarchus scribat, fictam esse ortamque scriptorum posterioris aevi incuria, qui quod factum esset quum Darius rex illam moliretur in Graeciam descensionem rettulerint ad Xerxis expeditionem, vel eandem rem bis factam esse commenti sint."

In levitatis autem et incuriae crimen incurrisse videtur Plutarchus in loco illo, qui est in vit. Them. c. 12, quo Themistoclem per Sicinnum quemdam de Graecorum consilio stationis ad Salaminem deserendae Xerxem fecisse certiorem Herodoto duce scribit. Qua in re Plutarchus quasi properante oculo legit Herodotum quo factum est, ut eius verba ἐς τὸ στρατόπεδον τὸ Μήδων ἄνδρα aeque acciperet, ac si scriptum esset τῶν Μήδων ἄνδρα[9]). Ex his verbis tum finxit sibi Sicinnum genere Persam eundemque captivum fuisse, quibuscum male consentit id,

---

[8]) Cf. Plut. vit. Them. c. 7 et de Her. malign. pag. 867. C. — Plut. vit. Them. c. 21 et de Her. malign. p. 871. C. — Plut. vit. Arist. c. 19 et de Her. malign. p. 872. F.

[9]) Idem censuerunt Baehrius (in edit. hist. Herod. tom. IV p. 103) et Wichersius de fontibus et auctoritate Corn. Nep. p. 28. Sintenisius: nihili, inquit, est haec suspicio. Nescio cur ita iudicaverit: adire nos iubet Valk. et Wessel. ad Her. l. l., quibus libris uti non potui — Sicinnum Graecum natione fuisse ait Aeschylus Per. v. 360. Blomf. — Cornel. Nep. (Them. 4.) Sicinnum de Themistoclis servis fidelissimum fuisse scribit.

quod ex Herodoto addit, Sicinnum filiorum Themistoclis fuisse praeceptorem. Levior est ea inter Herodotum et inter Plutarchum dissensio, quae non tam in sententiis cernitur quam in nominibus. Herodotus (lib. VIII. 59.) narrat concilio ante pugnam Salaminiam convocato altercationem ortam esse Themistocli cum Adimanto navium Corinthiarum praefecto; Plutarchus contra (vit. Them. c. 11.) Themistocli cum Eurybiade Lacedaemoniorum duce. Ille (lib. VIII. 108.) Themistocli ut pons in Hellesponto dissolveretur suadenti flagitantique oblocutum esse et adversatum perhibet Eurybiadem, hic Aristidem (vit. Them. c. 16 vit. Arist. c. 9). Ille lib. VIII. 110 a Themistocle eundem illum Sicinnum, qui Xerxem de ficto pontis in Hellesponto solvendi consilio certiorem Arnacae cuidam, ex captivis uni illius rei causa ad Xerxem mandata delata esse tradit.

Cap. II. De Thucydide.

In vita Themistoclis conscribenda quum eo pervenisset Plutarchus, ut varios casus vicissitudinesque fortunae traderet, quibus Themistocles in extrema vita conflictatus est et exagitatus, percommode ei contigit, ut Thucydidem auctorem spectatissimae fidei haberet, quem potissimum sequeretur in iis rebus dirimendis, de quibus diversissimae exstabant narrationes. Quanti fecerit Plutarchus clarissimum illum rerum scriptorem quum ex vita Them. c. 27 tum maxime ex vita Nic. c. 1[10]. intelligitur. Quamobrem non est cur mireris, quod Plutarchus summa Thucydidis admiratione ductus hunc auctorem ubicumque potuit non solum secutus est diligentissime, sed ad verbum etiam eius enarrationem saepius transscripsit; id quod et in hac de qua agitur vita, mox videbimus et ubivis in legendis vitis Periclis, Niciae, Alcibiadis facile invenies. Thucydides enim in libro primo historiae suae caussas belli Peloponnesiaci explicans resque eas enarrans, quae Athenienses inter Lacedaemoniosque internuntiis ultro citroque missis agebantur, quum argumenti ratio ita ferret ac postularet, ut de Pausaniae exitu tristi illo quidem, sed haud immerito, verba faceret, hac opportunitate de Themistocle dicendi oblata (nam Themistocles Lacedaemoniis suadentibus una cum Pausania proditionis accusatus erat, quod consilia iniissent cum rege de opprimenda Graecia) illam narrationi inseruit digressionem, qua viro illi amplissimo peritissimoque rerum civilium monumentum constitueret aere perennius[11]. Non enim fugit Thucydidem, rerum Graecarum aestimatorem tam ingeniosum tamque severum, quantum Themistocles sua rerum publicarum procuratione atque administratione contulisset et ad barbaros depellendos et ad libertatem confirmandam, quantumque eius rerum maritimarum cura atque studium effecisset, ut ad Athenienses summa imperii maritimi transferretur. Iam vero si consideramus, quomodo Plutarchus brevem illam descriptionem, qua Thucydides Themistoclis exsulis fata paucis quasi delineavit atque adumbravit, in rem converterit suam, ab ea petiisse videtur extrema lineamenta, quibus narrationem suam pleniorem auctioremque circumscriberet. Namque ut consilii sui memor solidam coloribusque quasi adornatam exprimeret viri illius imaginem, pro ingenti illa qua pollebat doctrinae lectionisque copia alios adiit inspexitque auctores, qui alius aliam

[10]) *Ὥρα παραιτεῖσθαι —, ὅπως ἐπὶ ταῖς διηγήσεσιν αἷς Θουκυδίδης, αὐτὸς αὑτοῦ περὶ ταῦτα παθητικώτατος, ἐναργέστατος ποικιλώτατος γενόμενος, ἀμιμήτως ἐξενήνοχε μηδὲν ἡμᾶς ὑπολάβωσι πεποθέναι Τιμαίῳ πάθος ὅμοιον, ὃς κ. τ. λ.*

[11]) Vide imprimis lib. I. 138.

rem fusius memoriae prodiderant. Sed operae pretium est rationem, quam inierit Plutarchus, paucis exponere. Thucydides quum scripsisset initio digressionis (lib. I. 135). *Τοῦ δὲ μηδισμοῦ τοῦ Παυσανίου Λακεδαιμόνιοι πρέσβεις πέμψαντες παρὰ τοὺς Ἀθηναίους ξυνεπῃτιῶντο καὶ τὸν Θεμιστοκλέα,* hac voce *ξυνεπαιτιᾶσθαι* fortasse commotus haec ab alio scriptore[12]) sumpta addit: Leoboten quemdam Atheniensem proditionis accusavisse Themistoclem; dicit enim c. 23: *Ὁ δὲ γραψάμενος αὐτὸν προδοσίας Λεωβότης ἦν Ἀλκμαίωνος Ἀγραύληθεν,* iis adiungens *ἅμα συνεπαιτιωμένων τῶν Σπαρτιατῶν.* Tum verba quae sequuntur apud Thucydidem *ὡς εὕρισκον ἐκ τῶν περὶ Παυσανίαν ἐλέγχων* Plutarchus eundem auctorem, ut licet coniicere, secutus fusius latiusque explicat his: Themistoclem, quum exsularet Argis, a Pausania ad sceleris societatem litteris invitatum repudiasse quidem illa de opprimenda Graecia consilia, sed non indicasse: *Οὕτω δὴ τοῦ Παυσανίου θανατωθέντος ἐπιστολαί τινες ἀνευρεθεῖσαι καὶ γράμματα περὶ τούτων εἰς ὑποψίαν ἐνέβαλον τὸν Θεμιστοκλέα.* Quibus postquam adiecit Themistoclem purgandi sui caussa litteras misisse memoravitque Thucydidem secutus ab Atheniensibus homines, qui Themistoclem reum comprehenderent, missos esse haec Thucydidis verba *ὁ δὲ Θεμιστοκλῆς προαισθόμενος φεύγει ἐκ Πελοποννήσου ἐς Κέρκυραν, ὧν αὐτῶν εὐεργέτης* sic fere ad verbum expressit (vit. Them. c. 24). *Προαισθόμενος δ' ἐκεῖνος εἰς Κέρκυραν διεπέρασεν, οὔσης αὐτῷ πρὸς τὴν πόλιν εὐεργεσίας,* neque omisit explicare quomodo Themistocles de Corcyraeis bene meruisset[13]).

Narratio quae sequitur de Themistoclis fuga a Corcyra ad Molossorum regem ita est comparata, ut, quamvis in singulis verbis Thucydidis vestigia deprehenderis, Plutarchum aliis quoque scriptoribus diligenter usum esse facile cognoscas. Et ipse Plutarchus, ut memoriae proderet, inter rerum scriptores hanc intercedere controversiam, utrum Themistocles suadente regina, uti Thucydides narrat, an rege auctore se cum filio regis in sacrarium proiecisset, diserte addidit: *Ἔνιοι μὲν οὖν Φθίαν τὴν γυναῖκα τοῦ βασιλέως λέγουσιν ὑποθέσθαι τῷ Θεμιστοκλεῖ τὸ ἱκέτευμα, τινὲς δ' αὐτὸν τὸν Ἄδμητον.* In iis, qui intelligendi sunt his verbis *τινὲς δὲ* Stesimbrotum fuisse facilis est coniectura. Hunc enim secutus statim post illa verba tradit Themistocli uxorem liberosque ab amico quodam Athenis ad Admetum missos esse neque potest temperare sibi quin narrationem quamdam afferat eiusdem Stesimbroti, qui scripserat Themistoclem in Siciliam ad Hieronem clam navigasse ab eoque petiisse, ut filiam sibi in matrimonium daret spe interposita fore ut Graecos sub eius redigeret potestatem. Quam Stesimbroti narrationem ut redargueret refelleretque Plutarchus quum Theophrasti narratiuncula quadam tum Thucydidis, quem hoc loco primum nominat, usus est auctoritate ac fide. Eius tum vestigiis diligenter insistit iisdem saepius verbis usus in iis enarrandis, quae Themistocli Asiam petenti in cursu per mare Aegaeum evenerint. Sed ab hoc inde loco aliorum magis secutus est sententias haud scio an incommodo suo ac detrimento. Primum enim dissentit a Thucydide de nomine urbis, ubi Themistocles in terram escenderit. Neglecto Thucydidis testimonio dicentis Themistoclem Ephesum venisse, Plutarchus Cumas, Aeolicarum urbium celeberrimam nominat, patriam Ephori rerum scriptoris[14]). Ex quo et hanc rem et portenta illa ac somnia, quae praeterca c. 26 narrat, de-

---

[12]) Et hoc loco et saepius in iis quae sequuntur Plutarchum secutum esse Phaniam Eresium suspicor. Vide quae infra de Phania disputata sunt.

[13]) Plutarchus Themistoclem arbitrum olim factum litis alicuius inter Corinthios et Corcyraeos rem ad utilitatem Corcyraeorum disceptasse auctor est. Contra Scholiasta ad Thuc. lib. I. 136. Themistoclem ideo dici bene meritum de Corcyraeis narrat, quod is prohibuisset ne punirentur Corcyraei, quod defuissent Graecis in bello Persico. Cf. Herod. VII. 168. [14]) Cf. quae infra de Ep horo disputabimus.

sumpsisse Plutarchum si statuimus, a vero non aberrare nobis videmur, praesertim quum constet in narrandis tum ostentis tum oraculis curiosissimum fuisse Ephorum et assuevisse quum multos scriptores tum maxime Ephorum patriae celebrandae gratia[15]) res gestas ad eam transferre veritatis non ita diligenter ratione habita. Cap. 27. Plutarchus rem diiudicavit maximi momenti, de qua et inter antiquos iam variae exstiterunt sententiae et ad nostram memoriam viri docti alius aliter existimaverunt. Est enim illa gravissima controversia de tempore, quo Themistocles supplex venerit ad Persarum regem; nam ambigunt vivone an iam mortuo Xerxe Themistocles in Asiam profugerit. Plutarchus prioris sententiae auctores nominat Ephorum, Dionem, Clitarchum, Heraclidem, posterioris Thucydidem et Charonem et se Thucydidis sequi auctoritatem ait. Reliqua autem omnia, quae narrat Plutarchus de Themistoclis colloquio cum Persarum rege habito, de honoribus ac praemiis, quibus a rege affectus sit Themistocles, de necessitudine ac familiaritate, in quam venerit cum rege, plus minus dissentiunt ab iis, quae Thucydides memoriae prodidit, ita ut facilis videatur mihi coniectura iis in rebus primarios auctores sibi elegisse tum Phaniam tum Ephorum, quem de his rebus egisse vel ex eo intelligimus, quod Plutarchus nomen eius primo loco affert inter eos, qui Themistoclem ad Xerxem regem venisse scripserant.

III. Cap. De Charone.

Herodotum et Thucydidem, illos in historia principes, excipiant eo quem sua cuique aetas assignat ordine reliqui scriptores a Plutarcho commemorati, qui aut sola historiae scribendae laude ac gloria floruerunt, aut alio doctrinae genere praecellentes libris quoque, qui ad historiae disciplinam pertinerent, scribendis navaverunt operam. Primum in iis propter aetatem locum obtinet Charon Lampsacenus[16]) quem Plutarchus in vit. Them. c. 27. una cum Thucydide affert auctorem sententiae illius, quam ipse probat, Themistoclem Xerxe mortuo ad filium eius Artaxerxem profugisse. Atque Charonem quippe qui aequalis fuerit Themistocli, huic sententiae non minus aetatis, quam Thucydidem nominis auctoritate ac pondere fidem facere nemo non videt. In vitis Plutarchi, quae quidem nobis conservatae sunt, Charonis nomen nusquam nisi eo loco quem commemoravimus legitur, et si reputaveris huius scriptoris librorum conditionem ac naturam, qualis fuisse videatur, quantum quidem tum ex fragmentis tum ex iudicio Dionysii Halicarnassensis (epist. ad Cn. Pomp. de praec. hist. p. 769. Reiske) coniicere licet, ieiunam illam et fabularum plenam, Plutarchum haud multa, quibus in virorum illustrium moribus ac virtutibus adumbrandis uteretur, in iis repperisse verisimile est. Fragmentum longius ex Charonis libro *περὶ Λαμψάκου* desumptum servavit Plutarchus (Moral. p. 255 A — E de virtut. mulier.), quo memoriae proditum est Lampsacum urbem antiquitus Pityusam nominatam ad honorem Lampsaces mulieris cuiusdam de Pityoessensibus bene meritae nomen commutasse. In libro de malignitate Herodoti bis (p. 859 A. et p. 861. C.) citatur Charon Lampsacenus eo consilio, ut mala fides Herodoti comprobetur.

---

[15]) Strabo lib. VIII. Tom. V. p. 453 Tzsch: *Σκώπτεται δὲ καὶ ὁ Ἔφορος διότι τῆς πατρίδος οὐκ ἔχων ἔργα φράζειν ἐν τῇ διαριθμήσει τῶν ἄλλων πράξεων, οὐ μὴν οὐδ' ἂν ἀμνημόνευτον αὐτὴν εἶναι θέλων, οὕτως ἐπιφωνεῖ· Κατὰ δὲ τὸν αὐτὸν καιρὸν Κυμαῖοι τὰς ἡσυχίας ἦγον.* Apud Plutarchum de vita et poesi Homeri c. 2. Ephorus id agit, ut Homerum Cumanum fuisse demonstret.

[16]) Cf. Vossius de hist. Graec. ed. Westermann p. 20. — Fragmenta hist. Graec. ed. C. et Th. Muelleri tom I p. XVI seq; fragmm. p. 32 — 35. — Creuzer historische Kunst der Griechen. 2. Aufl. p. 286. Heerenius de font. et auct. Plut. Charonis ne mentionem quidem fecit.

Charonem Herodoto priorem fuisse testantur Dionysius Halicarnasscensis[17], auctor libri de malignitate Herodoti[18] et Tertullianus[19]. Idem ille Dionysius (de Thuc. hist. iud. p. 818 Reiske) illos quos *λογογράφους* vocant rerum scriptores, qui ante bellum Peloponesiacum floruerunt, enumerans ab Hecataeo Milesio et Acusilao Argivo proximum Charonis apposuit nomen. Paullo accuratius docemur a Suida grammatico et de aetate qua floruerit Charon et de scriptis eius. Qui grammaticus utinam rerum, quas ex aliorum scriptis excerptas collectasque memoriae prodidit, existimatorem se praebuisset et diligentiorem et acriorem, ne anxius semper haesitares animo utrum esset fides ei habenda necne. Is s. v. *Χάρων* haec habet: *Χάρων Λαμψακηνὸς, υἱὸς Πυθοκλέους, γενόμενος κατὰ τὸν πρῶτον Δαρεῖον οθ' ὀλυμπιάδι· μᾶλλον δὲ ἦν ἐπὶ τῶν Περσικῶν κατὰ τὴν οε ὀλυμπιάδα· ἱστορικός· ἔγραψεν Αἰθιοπικά; Περσικά ἐν βιβλίοις β'. Ἑλληνικὰ ἐν βιβλίοις δ' ·περὶ Λαμψάκου β' Λιβυκά ὅρους* (leg. *ὥρους*) *Λαμψακηνῶν ἐν βιβλίοις δ'. Πρυτάνεις ἢ ἄρχοντας τοὺς τῶν Λακεδαιμονίων, ἔστι δὲ χρονικά Κτίσεις πόλεων ἐν βιβλίοις β' ·Κρητικὰ ἐν βιβλίοις γε λέγει δὲ καὶ τοὺς ὑπὸ Μίνωος τεθέντας νόμους. Περίπλουν; τὸν ἐκτός τῶν Ἡρακλείων στηλῶν.*

In iis primum verba haec *κατὰ τὸν πρῶτον Δαρεῖον οθ' ὀλυμπιάδι* aut ignorationis convincunt auctorem, aut scripturae mendosae speciem prae se ferunt. Darium enim iam Olymp. 73. 4. (*ογ'*) diem supremum obiisse constat[20]. Levissima videtur esse Creuzeri[21]) correctio, qui pro *οθ'* scribendum censuit *ξθ'*. Quam si probaveris coniecturam hoc dicit Suidas: Charonem sub initium Ionici belli famam sibi colligere coepisse (*γενόμενος*), maiori autem gloria floruisse illo tempore, quo Graeci Persas apud Salaminem et Plataeas fuderint ac fugaverint (*μᾶλλον δὲ ἦν ἐπὶ τῶν Περσικῶν κ. τ. λ.*) Ex loco autem qui est in vit. Them. c. 27. efficitur Charonem eo tempore, quo Xerxe mortuo Artaxerxes regnum occupavit, nondum absolvisse illud scriptum, quo usus est Plutarchus, sive in Persicis sive in Hellenicis de Themistoclis fuga egisse Charonem statuimus. Sed hanc sententiam cum illis, quae a Suida de Charonis aetate tradita sunt, propter nimis longum vitae tempus, quod Charoni tribuatur, conciliari posse negant ii[22], qui Diodorum (lib. XI. 69) secuti Xerxem Olymp. 78. 4. demum vita decessisse contendunt. At si assentimur temporum descriptioni Kruegeri[23], qui de rerum gestarum quae inter bella Persica et bellum Peloponnesiacum interiectae sunt continuatione serieque, valde conturbata atque impedita, diligentissime et ingeniosissime disseruit, non ea exsistit aetatis longinquitas, quae repugnet sententiae: Charonem etiamtum vixisse et historiae scribendae operam dedisse. Namque ex Kruegeri temporum descriptione Xerxes mortuus est Olymp. 76. 3 vel 4; anno post Themistocles ad regem profugit[24]) Quae quum ita sint, nihil impedit, quominus etiamtum Charonem in historiis scribendis elaboravisse credamus. — Deinde quod attinet ad magnum librorum numerum, qualem exhibet Suidas, Charonem contra aetatis suae indolem scriptorem admodum foecundum fuisse statuendum esset[25], si Suidae verbis esset omnino fides habenda. At multa sunt, quae suspicionem moveant et dubitationem. Subit enim animum haec suspicio: Suidam posteriorum Charonum libros cum Charonis Lampsaceni scriptis permiscuisse. Nam praeter Charonem Lampsacenum nominantur duo Charones, rerum scriptores, alter Carthaginiensis[26], alter Naucratita[27]. Tum sunt alii quidam

[17]) Dion. Hal. epist. ad Cn. Pomp. de praec. hist. p. 769. Reiske. [18]) De malign. Herod. p. 859. A. [19]) Tertullianus de anima c. 46. [20]) Clint. fast. Hell. pag. 28. ed. Krueger. [21]) Creuzer fragm. hist. gr. p 89. [22]) Creuzer l. l. p 95. [23]) K. W. Krueger historisch-philologische Studien p. 30. seq.
[24]) Thuc. I. 137. *Ἄνω ἐσπέμπει γράμματα ὡς βασιλέα Ἀρταξέρξην τὸν Ξέρξου νεωστὶ βασιλεύοντα.* [25]) Mueller l. l. p. XVII. [26]) Voss. l. l. p. 415. [27]) Voss. l. l. p. 415.

rerum scriptores, ut bene observavit Muellerus l. l. Chares Mytilenaeus[28]), Charax Pergamenus[29]) qui uti Charon Lampsacenus Hellenica et chronica scripsit, Chaereas[30]) denique, qui omnes ad unum propter nominum vel librorum ab iis conscriptorum similitudinem Suidam potuerunt in errorem inducere. Ad eos qui nominati sunt scriptores referenda videntur Κρητικὰ et Περίπλους. Αἰθιοπικὰ et Λιβυκὰ unum idemque esse opus, cuius auctor sit putandus Charon Carthaginiensis, existimat Muellerus. De iis autem operibus, quorum auctor revera Charon Lampsacenus esse videtur, copiose et accurate disputavit idem Muellerus l. l. Cuius disputationis summa, quam attulisse pro instituto nostro satis videtur, haec est: Ἑλληνικὰ et ὥρους[31]) Λαμψακηνῶν eundem librum esse, Λαμψακηνῶν vero ab ipso Suida corruptum esse ex Λακεδαιμονίων, Πρυτάνεις denique alium titulum eiusdem scripti esse. Eodem modo quae disiunxit opera Suidas περὶ Λαμψάκου et κτίσεις πόλεων unum esse scriptum neque περὶ Λαμψάκου neque κίσεις πόλεων verum libri indicem fuisse videri, sed ex more scriptorum Ionicorum et ad similitudinem operis de Lacedaemoniis hoc quoque inscripsisse Charonem: Ὧροι Λαμψακηνῶν.

Cap. IV. De Stesimbroto.

Stesimbrotus[32]), in vita Themistoclis ter citatur testis. Cap. 2. Plutarchus hanc affert Stesimbroti narrationem: Themistoclem audivisse Anaxagoram et Melisso usum esse familiariter. Quae eodem loco tradit de abdicatione Themistoclis et de morte matris voluntaria his verbis: Ἃ δὲ τούτων ἐξαρτῶσιν ἔνιοι διηγήματα πλάττοντες, ἀποκήρυξιν μὲν ὑπὸ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, θάνατον δὲ τῆς μητρὸς ἑκούσιον, ἐπὶ τῇ τοῦ παιδὸς ἀτιμίᾳ περιλύπου γενομένης, δοκεῖ κατεψεῦσθαι, ea quoque a Stesimbroto repetita videri bene observaverunt Wichersius (de font. Corn. Nep. p. 105) et Sintenisius (in edit. vit. Them. p. 18).

Cap. 4 Stesimbroto auctore narrat Plutarchus, Themistoclis Atheniensibus, ut rebus maritimis summo opere studerent, suadentis adversarium fuisse Miltiadem. Tertius locus est c. 24, de quo iam supra, ubi de Thucydide agebatur, dictum est[33]).

Stesimbrotus patria Thasius et aetate Herodoto et Thucydidi vel par vel paullo superior fuit. Id enim docemur a Plutarcho (vit. Cim. c. 4) his verbis: Στησίμβροτος δ' ὁ Θάσιος περὶ τὸν αὐτὸν ὁμοῦ τι χρόνον τῷ Κίμωνι γεγονὼς φησιν κ. τ. λ.[34]) Eadem fere ratione descripsit aetatem eius Athenaeus (lib. XIII. p. 589. D. E. ed. Commel.), cui soli simul debemus inscriptionem libri unde ipse et Plutarchus sua desumpserunt. Athenaeus l. l. enim de Periclis natura ad libidines nimis propensa disserens haec addit: Ὡς Στησίμβροτος ὁ Θάσιος ἱστορεῖ, κατὰ τοὺς αὐτοὺς αὐτῷ χρόνους γενόμενος καὶ ἑωρακὼς αὐτὸν, ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ περὶ Θεμιστοκλέους καὶ Θουκυδίδου καὶ Περικλέους. Stesimbrotum a Plutarcho fere saepius, quam Thucydidem, Ephorum, alios, citatum videmus. Sed ex eo si quis collegerit Stesimbroti magnam apud Plutarchum fuisse auctoritatem, is rem non ex veritate aestimabit. Cadit enim in Stesimbrotum illud, quod supra iam diximus, Plutarchum tum fontes vel maxime indicasse, ubi ipse rem narratam comprobare noluerit. Tantum autem abfuit, ut ad Stesimbroti testimonium et auctoritatem se accommodaret

---

28) Vossius l. l. p. 96 — 29) Vossius l. l. p. 414. — 30) Vossius l. l. p. 413.

31) Sic scribendum esse, non ὅρους, demonstravit Schweighaeus. in animadv. ad Athen. t. II. p. 645.

32) Cf. Vossius l. l p. 43. — C. F. Hermann l. l. p. VIII. seq. — Mueller fragm. hist. graec. t. II. p. 52 seq. — 33) Praeter hos locos Stesimbrotus in vitis citatur: vit. Cim. c. 4. c. 14. (Eadem ne addito auctore iterum narrantur in vit. Pericl. c. 10) c. 16. bis; vit. Pericl. c. 8. c. 13. c. 26. c. 36.

34) In reliquis locis Plutarchus nihil nisi nomen Stesimbroti apposuit.

Plutarchus, ut nomine addito fere semper commenta eius in auctorem reiiceret. Quam parum Stesimbroto tribuerit, quodque tulerit iudicium de operis illius indole ac natura, optime perspicitur ex loco vit. Pericl. c. 13, ubi collatis falsis criminationibus quas et comici et alii scriptores veritatis parum studiosi in Periclem conflaverant, haec verba adiungit gravissima et quae sunt subtilissimi iudicii: *Καὶ τί ἄν τις ἀνθρώπους σατυρικοὺς τοῖς βίοις καὶ τὰς κατὰ τῶν κρειττόνων βλασφημίας ὥσπερ δαίμονι κακῷ τῷ φθόνῳ τῶν πολλῶν ἀποθύοντας ἑκάστοτε θαυμάσειεν, ὅπου καὶ Στησίμβροτος ὁ Θάσιος δεινὸν ἀσέβημα καὶ μυθῶδες ἐξενεγκεῖν ἐτόλμησεν εἰς τὴν γυναῖκα τοῦ υἱοῦ κατὰ τοῦ Περικλέους; οὕτως ἔοικε πάντη χαλεπὸν εἶναι καὶ δυσθήρατον ἱστορίᾳ τἀληθές, ὅταν οἱ μὲν ὕστερον γεγονότες τὸν χρόνον ἔχωσιν ἐπιπροσθοῦντα τῇ γνώσει τῶν πραγμάτων, ἡ δὲ τῶν πράξεων καὶ τῶν βίων ἡλικιῶτις ἱστορία τὰ μὲν φθόνοις καὶ δυσμενείαις, τὰ δὲ χαριζομένη καὶ κολακεύουσα λυμαίνηται καὶ διαστρέφῃ τὴν ἀλήθειαν.*

Neque minus loci ex Stesimbroto in hanc Themistoclis vitam transcripti non nisi maxima cautione et suspicione adhibita Plutarchum eius narratione usum esse demonstrant. Sententiae enim cap. 2. de Themistoclis praeceptoribus ex Stesimbroti libro desumptae haec subiungit verba: *οὐκ εὖ τῶν χρόνων ἁπτόμενος* et verbis quae l. l. sequuntur suum iudicium studet comprobare[35]. Iis item, quae capite eodem de abdicatione attulit, addit: *δοκεῖ κατεψεῦσθαι.* Idem c. 24. recte sensit fictum esse iter illud, quod Themistoclem in Siciliam fecisse Stesimbrotus scripserat.

Sed ut de libello illo Stesimbroteo, quo usus est Plutarchus, accuratius meliusque existimare ac iudicare possimus, quod praeterea de hominis vitae rationibus compertum habemus, operae pretium est afferre[36]. Stesimbrotum aliquot vitae annos Athenis transegisse et mercede docuisse scimus ex Xenophontis symp. III, 6, ubi is Socratem lepide ac facete perstringentem facit Niceratum his: *Σὺ δὲ Στησιμβρότῳ τε καὶ Ἀναξιμάνδρῳ καὶ ἄλλοις πολὺ δέδωκας ἀργύριον, ὥστε οὐδέν σε τῶν πολλοῦ ἀξίων λέληθε.* Praeter hunc Niceratum discipulus Stesimbroti appellatur Antimachus poeta doctissimus[37]. Stesimbrotus igitur ad illam sophistarum turbam adscribendus videtur, qui tunc per Graeciae urbes vagabantur neque uni alicui litterarum generi sedulam et peculiarem operam navabant, sed ingeniorum fertilitate freti, quidquid occasio offerebat, pari cum levitate atque arrogantia tractabant[38]. Valde tritum fuisse inter sophistas Pericleae aetatis illud disserendi disputandique genus, quod in Homeri carminibus rimandis et explicandis versabatur, quum Plato[39], Xenophon aliique scriptores testantur, tum fragmenta ex hisce sophistarum commentationibus a grammaticis et scholiastis conservata comprobant. Stesimbrotum quoque in illo doctrinae genere vires ingenii periclitatum esse, non solum ex Platonis loco, sed etiam ex scholiis ad Homerum, quae collegit Muellerus l. l. p. 58, apparet. Ipse etiam Antimachus, Stesimbroti discipulus, posse testis proferri videtur, qui, utpote praeceptoris exemplum secutus, carminum Homericorum adornavit editionem et de patria et genere Homeri disseruit[40]. Huic autem rationi verborum Homeri explicandorum fabularumque ad sensum physicum et moralem accommodandarum fini-

---

35) Muellerus l. l. Stesimbroti narrationem cum temporum rationibus conciliare conatus est. — 36) Accurate et ingeniose, uti solet vir doctissimus, de ea re disputavit C. F. Hermannus l. l. — 37) Suidas s. v. *Ἀντίμαχος.* 38) C. F. Hermannus l. l. — 39) Plato in exordio Ionis dialogi Ion cum Socrate colloquens dicit: *Οἶμαι κάλλιστ' ἀνθρώπων λέγειν περὶ Ὁμήρου, ὡς οὔτε Μητρόδωρος ὁ Λαμψακηνὸς οὔτε Στησίμβροτος ὁ Θάσιος οὔτε Γλαύκων οὔτε ἄλλος οὐδεὶς τῶν πώποτε γενομένων ἔσχεν εἰπεῖν οὕτω πολλὰς καὶ καλὰς διανοίας περὶ Ὁμήρου, ὅσας ἐγώ.* Cf. Wolfii prolegomena in Hom. p. 161. — Kreuser homerische Rhapsoden. Coeln 1833. p. 31. 40) Stesimbrotum quoque de patria Homeri egisse ex fragm. 18. apud Muellerum apparet.

timum est illud interpretandi genus, quale sibi sumpsisse videtur Stesimbrotus in libro de initiis (περὶ τελετῶν), unde petita sunt addita libri inscriptione verba grammatici (Etym. M. p. 465. 30.) et sine dubio ea, quae de Corybantibus habet Strabo[41]).

Haec studia satis quidem esse apta ad eam ingenii vim exercendam, quae in rebus cogitatione depingendis conspicitur, minime vero accommodata illi veritatis amori, quo rerum scriptorem imbutum esse oporteat, non est quod dicam. Qua re considerata si illud quoque memineris qualis omnino fuerit sophistarum indoles ac natura et reputaveris quantum in Atheniensium republica partium studium illo tempore fuerit, Stesimbrotum parum fuisse idoneum, qui suae aetatis historiam scriberet, facile concedes. Atque re vera ille de Themistocle, Thucydide et Pericle libellus eo consilio conscriptus esse videtur, ut partium studiis inserviret et cavillationibus. Themistoclem enim et Periclem, utpote popularium duces et auctores, vides contumeliis coopertos, Cimonem autem, in cuius locum postea successit Thucydides, optimatium principem, laudibus spectas exornatum, priscae virtutis quasi exemplar[42]).

Stesimbrotus igitur unus fuisse eorum videtur, qui optimatium partibus dediti, Themistoclis et Periclis institutis rerumque publicarum administratione disciplinam publicam corruptam esse populumque a prisca illa victorum Marathoniorum virtute et morum simplicitate degenerasse, conati sunt aequalibus persuadere. Quamobrem prudenter egisse Plutarchum in Stesimbroti libro usurpando intelligimus; nam quum facere non posset quin Stesimbroti ut aequalis illorum virorum, quorum vitas erat scripturus, inferret mentionem eiusque commenta commemoraret, fidem tamen praestare auctori illi nullo modo voluit.

Cap. V. De Clidemo et Phanodemo.

De Clidemo et Phanodemo[43]) uno capite licet agere, quod est uterque in numero eorum, qui res Atticas, Ἀττικὰς ἀρχαιολογίας vel Ἀτθίδας conscripserunt et vulgo Atthidum scriptores vocitantur. Etenim post Herodotum, Thucydidem Xenophontemque, principes illos in historia conscribenda atque artifices, quum artis rhetoricae studia in sophistarum scholis frequentari ac celebrari coepta essent, viri illi, qui artis rhetoricae praeceptis imbuti tunc operam navabant historiae conscribendae, Theopompus, Ephorus, alii, de recta via, qua Thucidides prae ceteris incesserat considerate atque constanter, deflexerunt neque temperare poterant sibi quin posthabito saepius veri investigandi studio res gestas ad artis rhetoricae praecepta magis, quam ad veritatem describerent, suumque dicendi genus orationis luminibus ac pigmentis exornarent. Quo tempore illa historiae scribendae ratio, artis rhetoricae lenociniis fucata, percrebruit, eodem aliud exstitit genus historicorum, qui repudiato omni orationis ornatu et cultu itemque neglecta ea descriptione, qua ad rationem et tamquam artem dirigerent opus susceptum, res Graecas, imprimis vero res Atticas ab antiquissimis inde temporibus usque ad suam aetatem explorabant ac perquirebant. Assidui erant ac diligentes in mythis quos vocant magna cum iudicii

[41]) Strabo X. Tom. IV. p. 205. Tzsch. Strabo Stesimbroti nomen quidem apposuit, sed neglexit addere libri inscriptionem. Praeterea conferenda sunt fragmm. 15. 16. 17 a Muellero collecta [42]) Lucas (Versuch einer Characteristik Kimons. Hirschberg 1835) libellum fuisse censet quemdam eorum, quos Francogalli vocant „chronique scandaleuse“, et Stesimbrotum Cimonis etiam laudibus obtrectasse studet demonstrare. Sed cf. vit. Cim. c. 4. c. 14. c. 16. [43]) Cf. Vossius l. l. p. 418 et 482. — Phanodemi, Demonis, Clitodemi atque Istri Ἀτθίδων et reliquorum librorum fragm. ed. Lenz et Siebelis. Lips. 1842, quo libro uti non potui. — C. et Th. Muelleri l. l. Tom I. p. LXXXI – XCI. fragmm. p. 359 — 370. — Creuzer hist. Kunst d. Gr. p. 349 seq. —

severitate interpretandis, in persequendis excutiendisque rebus omnibus, quae aut pertinerent ad locorum descriptionem, aut ad deorum cultum, ad instituta maiorum, ad litteras artesque spectarent.

En hi sunt, quorum libri *Ἀτθίδες* vocitantur. Quod nomen ipsine iam Atthidum scriptores usurpaverint, an grammatici postea commendaverint, ex fragmentis, quae aetatem tulerunt, erui non potest; sed tamen prior sententia est verisimilior, quoniam antiquissimi eorum, qui Atthides afferunt, Strabo[44]) et Dionysius Halicarnassensis[45]) eo utuntur nomine.

Dicendi genus, adhibitum ab Atthidum scriptoribus, exile fuisse ac tenue, quod lectorum animos parum alliceret delectatione quadam ac voluptate, tum fragmenta comprobant satis multa, tum Dionysius Halicarnassensis[46]), de sui libri forma disserens, his asseverat verbis: *Σχῆμα δὲ ἀποδίδωμι τῇ πραγματείᾳ, οὔθ᾽ ὁποῖον οἱ τοὺς πολέμους ἀναγράψαντες ἀποδεδώκασι ταῖς ἱστορίαις, οὔθ᾽ ὁποῖον οἱ τὰς πολιτείας αὐτὰς ἐφ᾽ ἑαυτῶν διηγησάμενοι, οὔτε ταῖς χρονικαῖς παραπλήσιον, ἃς ἐξέδωκαν οἱ τὰς Ἀτθίδας πραγματευόμενοι· μονοειδεῖς γὰρ ἐκεῖναι τε καὶ ταχὺ προσιστάμεναι τοῖς ἀκούουσιν.* Inde igitur intelligimus Atthidum scriptores et ad genus dicendi et ad argumentum tales fere videri, quales apud Romanos annalium auctores fuisse dicuntur. Nihilominus multo in eorum scriptis inerant, quae scriptoribus inferioris aetatis haud parvo essent usui. Multa enim tradiderant accuratius, quam rerum scriptores, qui vulgo solent dici, de deorum cultu, de festorum origine, de sacrificiis, de legibus institutisque reipublicae; maxima cum diligentia in tempora antiquissima inquisiverant[47]); multas res minutas ac parvas non silentio, ut alii, praetermiserant; imprimis vero diligentius, quam maxima historicorum pars, in temporibus constituendis versati erant. Quod si consideraveris, non erit cur mireris, scholiastas potissimum, grammaticos et *λεξικογράφους* Atthides illas perscrutatos esse et saepissime ad earum auctoritatem provocare[48]). Iis Plutarchum quoque diligentissime usum esse, quoniam illius ingentem lectionis copiam singularemque diligentiam habemus cognitas et spectatas, facile coniicias, etiamsi ipse nusquam illorum mentionem fecerit. Iam vero allatos quidem a Plutarcho videmus Atthidum scriptores fere omnes[49]), sed vix te poteris tenere, quin multo plura eum, quam ipse pro more suo indicaverit[50]), ex istorum scriptis petiisse coniicias. Multae enim res in vitis Plutarcheis inveniuntur vel minutissimae vel a perpetua rerum gestarum historia remotissimae, quas unde hauserit frustra quaerimus, nisi fontes earum *Ἀτθίδας* esse statuimus. Quae coniectura ut tibi comprobetur, fragmentorum argumenta diligenter consideres velim ac perpendas.

Praemissis quae de Atthidum scriptoribus in universum dicenda videbantur iam de Clidemo de Phanodemo, qui in vita Themistoclis testes afferuntur, disputationem paucis licet absolvere.

Uno tantum loco, qui est c. 10, exstat nomen Clidemi[51]), ubi Plutarchus artem quamdam commemoratam a Clidemo affert, qua Themistocles Athenienses in

---

[44]) Strabo lib. IX. Tom III. p. 339. Tsch. [45]) Dionys. Halic. antiq Rom. lib. I. 8. Conf. quoque Dion. Halic. ad Ammaeum de Demosth. et Aristot. Vol. VI. p. 734 et 751. ed. Reiske. [46]) Dion. Halic. l. l. [47]) Fragmentorum maxima pars ad illa tempora pertinet. [48]) Longe maximam fragmentorum partem debemus eiusmodi scriptoribus, quos supra nominavimus. — [49]) Clidemus a Plut. cit. vit. Thes. c. 19. — c. 27. vit. Them. c. 10. vit. Arist. c. 19. Phanodemus vit. Them. c. 13. vit. Cim. c 12. c 19. — Androtio vit. Thes. c. 15. — Demo vit. Thes. c. 19. c. 23. — Philochorus vit. Thes. c. 14. c. 16. c. 17. c. 19. c. 26. c. 29. c. 35. vit. Nic. c. 23. Moral. t VII p. 588. t. IX. p. 138. p. 367. ed. Reiske. — Ister vit. Thes. c. 34. vit. Alex. c. 46. Moral. t. VII. p. 203. ed. Reiske — Andro vit Thes. c. 25. [50]) Haud pauca in priori vitae Them. parte ex Atthidum scriptoribus petita esse suspicor. — [51]) Sic (*Κλείδημος*) exhibet nomen cod. manuscr. Plut. Apud Pausaniam et Suidam: *Κλειτόδημος*.

Piraeeum descensuros, quum inopia aerarii premerentur, viatico abunde ornaverit. De patria Clidemi nihil memoriae proditum est. Atheniensem eum fuisse ex loco Plutarchi (de glor. Athen. init.) colligi posse videtur, ubi Clidemus primo loco nominatur inter eos historicos Athenis oriundos, qui rebus gerendis non interfuerint ipsi [52]). Ut de aetate, qua floruerit Clidemus, certi aliquid statuamus e re nostra videtur esse locus Pausaniae X. 15. Sermo est l. l. de prodigiis, quae expeditionem Siciliensem antecessisse Clidemus litteris mandaverat. Unde patet eum illi expeditioni summa virium contentione exornatae supparem fuisse. Verbis autem, quae praemisit Pausanias: *Κλειτόδημος δὲ, ὁπόσοι τὰ Ἀθηναίων ἐπιχώρια ἔγραψαν, ὁ ἀρχαιότατος* Clidemus eorum, qui *Ἀτθίδας* conscripserant, veterrimus declaratur. Quattuor Clidemi laudantur scripta: *Ἀτθίς* sive *λόγος Ἀττικός*, duodecim minimum librorum [53]). *Πρωτογονία· Νόστοι· Ἐξηγητικόν.* Sed quae singularia citantur scripta *Πρωτογονία* et *Νόστοι*, ea partes fuisse libri de rebus Atticis scripti recte observasse videtur Muellerus (l. l. p. LXXXVII).

Phanodemi auctoritate utitur Plutarchus initio cap. 13 disserens de loco, unde Xerxes in solio sedens pugnam Salaminiam spectaverit. Omissis enim iis, quae Herodotus (lib. VIII. 90) hac de re memoriae tradidit, Phanodemi et Acestodori sententias inter se diversas affert iudicio utra ipsi probetur non addito. De Phanodemi tum aetate tum patria quae traduntur, non nisi coniecturis nituntur. Eum non multo post Clidemum floruisse censet Muellerus, Theopompum contra eum disputasse colligens ex Procli loco in comm. ad Plat. Timaeum p. 30. ed. Basil. Patria Atticum eum fuisse Sibelisius inde coniici posse putat, quod Phanodemus, id quod fragmenta demonstrant, summo studio Atticam celebret. Muellerus eum in insula Ico natum suspicatur; scripsit enim Phanodemus praeter Atthidem novem minimum librorum *Ἰκιακά* teste Steph. Byz. (s. v. *Ἰκός*).

Cap. VI. De Theopompo.

Iam ad eos pervenimus rerum scriptores, qui quasi ex clarissima rhetoris officina, ab Isocrate magistro impulsi, se ad historiam contulerunt [54]). Inter eos Theopompum primum obtinere locum omnes consentiunt et veteres et recentiores viri docti, quamvis illustremne an infamem eum appellent ambigant. In vita Themistoclis tribus locis (c. 19. c. 25. c. 31) Plutarchus Theopompi usus est auctoritate. Sed de hisce locis priusquam agatur ita, ut intelligatur unde sint petiti, quantaque Theopompi apud Plutarchum fuerit auctoritas, Theopompi vita scriptaque celeriter sunt perstringenda. De Theopompi multi nostra memoria scripserunt viri doctissimi [55]). Sed tamen multa sunt adhuc, de quibus variae exstant ac discrepantes inter se sententiae. Primum inter se dissentiunt viri docti de tempore, quo natus sit Theopompus. Etenim quae Suidas [56]) et Photius [57]) ea de re memoriae prodiderunt sunt eiusmodi, ut vix possint inter se conciliari et copulari. Sed longum est et ab hoc loco alienum videtur res controversas proferre variasque temporum rationes, quae initae sunt, perpendere et comparare. Mihi quidem verisimillima videtur ea

---

52) Quod ab Harpocratione repetit argumentum Muellerus l. l. p. LXXXII, nihil valere videtur.

53) Duodecimus liber affertur ap. Hesych. (fragm. 9 ap. Muell.). 54) Verba sunt Ciceronis de orat. II. 13. — 55) F. Koch de Theopompo. Eiusdem prolegomena ad Theop. Lips. 1807. — G. I. Aschbach de Theop. Francf. 1823. — A. I. E. Pflugk de Th. vit. et scr. Berol. 1827. — R. H. E. Wichers fragm. Theop. Lugd. Bat. 1829 — F. C. Theiss de Th. vit. et scr. Hal. 1831. — Vossius l. l. p. 59 seq. Mueller l. l. Tom. I. p. LXV—LXXVII; fragmm. p. 278—333. — 56) Suidas s. v. *Θεόπομπος*. 57) Photius cod. 176 p. 203.

quam Westermannus[58]) proposuit sententia. Iam quum Theopompus inter principes Isocratis discipulos haberetur, Isocrates autem Ol. 96. 3. Athenis Chium concederet ibique ludum aperiret, nihil ad veritatem accommodatius videtur, quam tunc iam Theopompum ei in disciplinam esse traditum, itaque natum esse fere Ol. 93 vel 94. Quod tempus ubi quasi fundamentum quoddam est positum, reliqua, quae de Theopompi vita fatisque tradita sunt, melius concinere videntur inter sese. Is igitur natus nobili genere in insula Chio, institutus ab Isocrate, magistro nobilissimo, postquam adolevit ad remque publicam gerendam coepit accedere tempore illo, quo Thebani et Lacedaemonii de principatu contendebant, una cum patre propter studium Lacedaemoniorum, Laconismi, quem vocabant Graeci, reus, ex patria expulsus aliquamdiu in Asia minori exsulavit. Ibi primum splendidissimum eloquentiae specimen edidisse dicitur in eo dicendi genere, quod Graeci vocant *ἐπιδεικτικόν*. Nam quum Artemisia post Mausoli mariti mortem *ἀγῶνα* laudibus dicundis fecisset proposuissetque praemia amplissima[59]), ex illo certamine victor prodiit Theopompus. Inde ut hominum mores cognosceret, quippe qui perscripturus esset historiam, ut leges atque instituta civitatum pertentaret et perspiceret, ut rerum gestarum monumenta ipse undique colligeret, ut denique simul novas sibi dicendi laudes compararet, multas peragravit terras, hac in re egregie adiutus lautissimo patrimonio. Ipse enim gloriabundus nullam esse ait Graeciae urbem maiorem, in qua non aliquantum temporis commoratus publice perorando magnam sibi pepererit gloriam ac suae in dicendo facultatis monumentum reliquerit[60]). Ita Theopompo contigit peregrinanti, ut in familiaritatem virorum et amplissimorum et spectatissimorum veniret, ipsiusque Philippi, regis Macedonum uteretur consuetudine et amicitia. En quanta opportunitas, quanta occasio illi oblata, qui perscripturus erat res suae aetatis. Tandem Alexandri gratia ac favore, quum ille perdomita Asia orbem terrarum sui nominis gloria implevisset, in patriam restitutus est. Sed quum post diuturnum exsilium se totum reipublicae tradidisset, ut erat animo vehementi et fervido, popularis gratiae contemptor et optimatium princeps, fieri non potuit quin civium plurimas easque gravissimas susciperet inimicitias. Quo factum est, ut Alexandro mortuo, cuius auctoritate et opibus adversariorum prava consilia erant repressa, iterum patria expelleretur. Aegyptum concessit habitatum ibique (nesciunt quo anno) mortuus est.

Theopompus multos libros conscripsit. Ipse enim de se praedicat ac gloriatur, non temere sibi se primas vindicare, quum maximam librorum copiam confecerit[61]). Sed mittamus disputationem de orationibus et epistolis illis, quas simul cum historiis commemoravit Dionysius Halicarnassensis[62]) his verbis: (*Θεόπομπος*) *πολλοὺς μὲν πανηγυρικοὺς, πολλοὺς δὲ συμβουλευτικοὺς συνταξάμενος λόγους, ἐπιστολὰς δὲ τὰς ἀρχαϊκὰς γραφομένας*[63]), *καὶ ὑποθήκας ἄλλας, λόγου ἀξίαν ἱστορίαν πεπραγματευμένος, ἄξιος ἐπαινεῖσθαι.*

Pro instituto nostro satis habemus de Theopompi libris qui sunt de historia paullo accuratius dicere. Fuerunt autem tres Theopompi libri, quibus rerum gesta-

---

58) Vossius l. l. p. 59. 59) Gellius N. A. X. 18. — 60) Photius l. l.; fragm. 26. ap. Muell.
61) Photius l. l. *Καὶ ὡς οὐκ ἂν εἴη αὐτῷ παράλογον, ἀντιποιουμένῳ τῶν πρωτείων, οὐκ ἐλαττόνων μὲν ἢ διςμυρίων ἐπῶν, τοὺς ἐπιδεικτικοὺς τῶν λόγων συγγραψαμένῳ, πλείους δὲ ἢ πεντεκαίδεκα μυριάδας, ἐν οἷς τάς τε τῶν Ἑλλήνων καὶ Βαρβάρων πράξεις μεχρὶ νῦν ἀπαγγελλομένας [ἔστι] λαβεῖν.* — 62) Dion. Hal. epist. ad Cn. Pomp. Tom. VI. p. 782 ed. Reiske. 63) Varias diversasque attulerunt viri docti sententias, quid sibi velint epistolae istae *ἀρχαϊκαί*. Mihi quidem perplacet Muelleri coniectura legendum esse consentis: „*τὰς Ἀρχαὶ Χῖαι*" *ἐπιγραφομένας*, ita ut litterae intelligantur de magistratibus Chiorum. —

rum historiam perscripserat. Primo loco a Suida[64]) affertur Ἐπιτομὴ τῶν Ἡροδότου ἱστοριῶν, quae duobus continebatur libris. Alterum scriptum est illud, quod inscribitur: Ἑλληνικαὶ ἱστορίαι sive Σύνταξις Ἑλληνικῶν. Quas ad historias componendas Theopompus ab Isocrate invitatus esse dicitur Photio teste[65]). Facto enim narrandi initio, ubi desiit Thucydides, a clade Mindaro duce ad Cynossema accepta (Ol. 92. 2.) duodecim libris septemdecim annorum res gestas usque ad pugnam navalem ad Cnidum commissam[66]) (Ol. 96. 3.) narravit ita quidem, ut primo libro bellum Peloponnesiacum absolveret, eorum vero qui secuti sunt undecim annorum memoriam totidem libris uberrime traderet. Mirum sane potest videri, quod admodum raro hoc Theopompi opus a scriptoribus posterioribus affertur sed Diodorum et Plutarchum, ubi tempora illa attigerunt, ex eo multo petiisse suppresso fontis nomine facilis est coniectura.

Restat ut dicamus de latissimo maximeque diffuso Theopompi scripto, quo sibi comparavit quum laudatores elegantissimos tum plurimos eosque acerbissimos vituperatores. In illo enim scripto, quod: „Φιλιππικά" vel „Ἱστορίαι" inscripsit, suae ipsius aetatis historiam h. e. res a Philippo, Amyntae filio, gestas inde ab occupato regno usque ad mortem regis summa et libertate et acerbitate perscripserat libris duodesexaginta.

Ad tantam molem opus accreverat non tam copiosa enarratione omnium vel levissimorum, quae ad Philippi vitam et facta pertinerent, quam longarum digressionum multitudine. Quare fieri potuit, ut Philippus, Macedonum rex, is qui contra Romanos bello decertavit, resectis digressionibus libros duodesexaginta ad sedecim redigeret[67]). Quod exemplum secutus Augusti tempore Trogus Pompeius suas historias Philippicas ita fere confecit, ut opus illud Theopompeum contraheret. Has Trogi historias denuo in epitomen coegit Iustinus, cuius historiae Philippicae aetatem tulerunt. Quo autem modo digressiones illas per totum opus digesserit ac distribuerit Theopompus, quibusque rebus permotus a proposito longius aberrare solitus sit, ex fragmentis non ita paucis collectis digestisque satis dilucide planeque intelligitur, quibus nixi viri docti Wichersius[68]) et post eum Brucknerus[69]) et Muellerus[70]) totius operis quasi conformationem adumbrare singulorumque librorum argumenta extremis quasi lineamentis describere conati sunt.

Sed iam videamus unde petita sint ea, quae apud Plutarchum in vita Them. locis quos iam attulimus, leguntur. Theopompum non nisi in narratione aliqua interiecta potuisse de Themistocle verba facere, iam per se erit manifestum, si reputaveris, quae ille sibi tempora sumpserit describenda, quippe quae longius remota sint ab iis, quibus floruit Themistocles. Verum non solum hoc est in promptu, Plutarchum sua ex Theopompi Philippicis petiisse, sed etiam, in quo historiarum illarum libro Theopompus de Themistocle egerit, licet colligere. Exstant enim apud Athenaeum (lib. XII p. 533. A. ed. Commel.) verba Theopompi ex decimo Philippicorum libro deprompta, quibus Cimonis celebrat liberalitatem. Has autem Cimonis laudes ad verbum fere latine reddidit Cornelius Nepos (c. 4.) et Plutarchum

---

[64]) Suidas s. v. Θεόπομπος. Fragmenta ex hac epitome petita vid. ap. Muell. l. l. fragm. 1. 2. 3. 4. 5. — [65]) Photius l. l. Καὶ τὰς ἱστορικὰς δὲ ὑποθέσεις τὸν διδάσκοντα αὐτοῖς προβαλεῖν (φασιν), τὰς μὲν ἄνω τῶν χρόνων Ἐφόρῳ, Θεοπόμπῳ δὲ τὰς μετὰ Θουκυδίδην Ἑλληνικὰς, πρὸς τὴν ἑκατέρου φύσιν καὶ τὸ ἔργον ἁρμοσάμενον. — [66]) Cf. Diod. XIII. 34. et XIV. 84. Suidas s. v. Θεόπομπος, sed is parum accurate scripsit. Ἑλληνικὰς ἱστορίας, ἕπονται δὲ τοῖς Θουκυδίδου καὶ Ξενοφῶντος καὶ εἰσὶν ἐν βιβλίοις ια΄ Fragmenta op. Muell. 6—25. [67]) Photius l. l. — [68]) Wichers l. l. — [69]) Brückner König Philipp und die hellenischen Staaten. Beilage. Goett. 1837. — [70]) Mueller l. l. p. LXX — LXXIII.

quoque (vit. Cim. c. 10) ea in re Theopompum secutum esse apparet, quamquam ea, quae Aristoteles rettulisse dicitur, paullo discrepantia interseruit. Alius locus, qui est de Cimone in patriam restituto, quum nondum exsilii decennis dimidium praeteriisset, ex eodem libro Theopompi repetitus apud schol. in Arist. orat. in Cimonem [71]) legitur, quem expressum videmus a Corn. Nepote (Cim. 8) et a Plutarcho (vit. Cim. c. 18). Qua autem usus argumenti opportunitate Theopompus in decimo Philippicorum libro de Cimone agere potuerit ex alio Athenaei loco (lib IV. p. 166 D. ed. Com.) bene intelligitur, quo is grammaticus de Eubuli *δημαγωγοῦ* luxuria afferens quaedam ex eodem decimo Philippicorum libro haec addit: *ἀφ᾽ ἧς τινες τὸ τελευταῖον μέρος χωρίσανες, ἐν ᾧ ἐστι τὰ περὶ τῶν Ἀθήνησι δημαγωγῶν* [72]). Inde igitur extremam partem libri decimi versatam esse apparet in describendis moribus, ingenio ac natura virorum, qui auctis post bella Persica Atheniensium opibus rempublicam administraverunt. Quam rem ita persecutum esse Theopompum verisimile est, ut praemissa de Themistocle, Aristide, Cimone, Pericle, narratione breviore fusius ageret dissereretque sine dubio multa cum acerbitate de Eubulo, Callistrato, Cleone, Hyperbolo, aliis [73]).

Denique quod attinet ad Theopompi auctoritatem ac fidem, huius rei aestimatores et veteres et recentiores mirum in modum inter se dissident atque discordant. Primus acerbissimus Theopompi reprehensor exstitit Polybius (lib. VIII. 11. 12. 13.), qui eum non solum ut rerum scriptorem maledicendi libidine abreptum notavit, sed ipsius etiam mendacii arguit eidemque vertit crimini, quod quum res Graeciae scribere aggressus esset, commutato consilio postpositoque patriae amore res a Philippo gestas scribere constituisset [74]). Quam Polybii sententiam plus minus secuti sunt Cornelius Nepos [75]), Iosephus [76]), Lucianus [77]), Clemens Alexandrinus [78]), Suidas [79]), alii: Neque vero defuerunt inter veteres scriptores, qui laudibus efferrent Theopompum. In iis primo loco nominandus est Dionysius Halicarnassensis [80]). Dignum enim is existimavit illum, qui laudaretur quum propter argumentum historiarum et dispositionem tum ob diligentiam ac studium, quod in scribendo posuisset [81]). Cum Dionysio ex parte fecit Athenaeus [82]) qui quidem *δυσμενέστατον* nominavit Theopompum, sed alio loco (lib III. p. 85. A. ed. Com.) eum ut auctorem veritatis amantem praedicavit dicens: *Τούτοις εἴ τις ἀπιστεῖ, μαθέτω καὶ παρὰ Θεοπόμπου τοῦ Χίου, ἀνδρὸς φιλαλήθους καὶ πολλὰ χρήματα καταναλώσαντος εἰς τὴν περὶ τῆς ἱστορίας ἐξέτασιν ἀκριβῆ.*

Quod supra Plutarchum neque in laudatoribus Theopompi neque in reprehensoribus numeravimus, hoc ideo factum est, quia in hac extrema de Theopompo

---

71) Apud Mueller. fragm. 92. 72) Liber iste quasi peculiare quoddam opus citatur ap. schol. Lucian. Tim. c. 29. tom. I p. 142; ap. Muell. fragm. 102. 73) Vide fragm. ap. Muell. 95 — 108. — 74) Contra Polybium Theopompi caussam diligenter sed nimio, ut mihi quidem videtur, studio egit Kochius proleg. ad Th. Ch. p 13 seq. De argumento commutato recte iudicat Muellerus l. l. p. LXIX: Quum Theopompus ex oratore evasisset historicus et artis oratoriae praecepta ad historias transferret, facile intelligitur cur unum Philippum tanquam scenae suae protagonistam et cardinem rerum ponere, ad eumque Graeciae historiam, quae re vera tota tum ex illo pendebat, referre maluerit, quam plurimarum civitatum fata ex professo singillatim exponere. — 75) Cornel. Nep. vit. Alcib. c. 11: Hunc (Alcibiadem) infamatum a plerisque tres gravissimi historici summis laudibus extulerunt: Thucidides, Theopompus — et Timaeus. Qui quidem duo maledicentissimi, nescio quo modo, in illo uno laudando consciverunt. 76) Josephus c. Apion. I. 24. p. 459 ed. Hav. — 77) Lucian. quomodo hist. conscrib. c. 59. — 78) Clem. Alex. Stromm. I. p. 316. — 79) Suidas s. v. *Ἔφορος*. 80) Dion. Hal. epist. ad Cn. Pomp. de praec. hist. Tom. VI p. 782. ed. Reiske. 81) Attamen Dionysium adhibitis potissimum artis rhetoricae praeceptis benignius de Theopompo iudicasse negari nequit. 82) Ath. l. VI p. 254. B. ed. Com. —

disputationis parte loci Plutarchei, quibus citatur Theopompus examinandi comparandique videntur, ut commode intelligatur quantum fidei et auctoritatis Plutarchus tribuerit Theopompo. Ad quod diiudicandum non magni sunt momenti tres illi loci, qui in vita Them. exstant. Sed tamen iis evincitur hoc, Plutarchum non adeo confisum esse Theopompo, ut, quum diversa essent tradita, Theopompi partes sequeretur[83]). Eiusdem fere generis sunt loci in vit. Timol. c. 4. et in vit. Lys. c. 17, ubi quae Theopompus tradidit opponuntur iis, quae Timaeus et Ephorus memoriae prodiderant, nullo iudicio addito quid ipse senserit Plutarchus. Sed non desunt loci, ubi libere Theopompo oblocutus est. Huc referendi sunt loci, qui leguntur in vit. Demost. c. 13 et 21, ubi haec addit: *ὡς γράφεται καὶ τραγῳδεῖ Θεόπομπος*, imprimis vero locus in vit. Lys. c. 30, quo Theopompi cupiditas maledicendi notatur his verbis: *Θεόπομπος, ᾧ μᾶλλον ἐπαινοῦντι πιστεύσειεν ἄν τις ἢ ψέγοντι· ψέγειν γὰρ ἥδιον ἢ ἐπαινεῖν.*

Haec igitur est summa huius comparationis, Plutarchum Theopompo non modo non multum tribuisse, sed etiam ipsam ei maledicendi cupiditatem crimini vertisse. Et profecto non est quod mireris, Plutarchum ita iudicasse, si naturam atque indolem tum Theopompi tum Plutarchi perpenderis atque memineris, quam sibi viam Plutarchus in vitis virorum illustrium scribendis elegerit[84]).

Cap. VII. De Ephoro.

Confecta de Theopompo quaestione iam de altero Isocratis discipulo, qui per magistrum ab ambitione et foro sevocatus ad historiam scribendam se applicavit, de Ephoro[85]) est dicendum. Ephorus natus est Cumis, celeberrima Aeolidis urbe[86]). Sed quo tempore natus sit non satis constat[87]). Verum enim vero eum Theopompo aequalem fuisse atque una Isocratem audivisse omnes uno ore consentiunt. Qui Isocratis discipuli uti pares aetate ita ingenio valde dispares erant. Tritum est illud Ciceronis[88]), Isocratem de acerrimo ingenio Theopompi et lenissimo Ephori dixisse, alteri se calcaria adhibere, alteri frenos. Ephorum initio apud Isocratem non multum profecisse testatur Plutarchus[89]) his verbis: *Τοῦ δὲ Κυμαίου Ἐφόρου ἀπράκτου τῆς σχολῆς ἐξελθόντος καὶ πάλιν ἀπὸ τοῦ πατρὸς Δημοφίλου πεμφθέντος ἐπὶ δευτέρῳ μισθῷ, παίζων Δίφορον αὐτὸν ἐκάλει. Ἐσπούδασε μέντοι*

[83]) Vit. Them c. 19: Theopompus Plutarcho teste memoriae prodiderat, Themistoclem ephoros Lacedaemoniorum, ne impedimento essent moenibus exstruendis pecunia corrupisse, plerique tradiderant illum fraude eos decepisse. C. 25: Quum post fugam Themistoclis bona in publicum addicta essent Theopompus centum talenta, Theophrastus octoginta in aerarium relata esse scripserant. C. 31: Plutarchus sententiam Theopompi aspernatur, qui narraverat Themistoclem non Magnesiae degisse, sed per Asiam vagatum esse [84]) Ex recentioribus Boeckhii, viri clarissimi de Theopompo iudicium tam aequum, quam subtile iuvat attulisse (Staatshaushalt d. Athen. 1. p. 316), cui assentiri equidem non dubito: Theopomp ist als tadelsüchtig verschrien, weil er den verderbten Geist einer verderbten Zeit nach der Wahrheit schilderte: denn die Meisten sind geneigt, Alles von der schönsten Seite anzusehen, zumal aus der Ferne, wo alle Leidenschaft schweigt, u. das Wohlwollen, welches dem menschlichen Herzen eingepflanzt ist, nicht von unmittelbar gegenwärtigen Erfahrungen Lügen gestraft wird: aber Ehre dem Geschichtsschreiber, welcher den eitlen Schein vom Wesen zu trennen versteht u. gleich dem Richter der Unterwelt die Seelen nackt und alles Pompes u. Gepränges entkleidet vor seinen Richterstuhl zieht. [85]) Vossius l. l. p. 65 seq. — Heyne comm. de Eph. in soc. Gott. tom. VII. p. 107 seq. tom. VIII. p. 107 seq. — Meier Marx Eph. frag. Carolirahae, 1815. — Mueller l. l. tom. I. p. LVII — LXIV; fragm. p. 234 — 277. — Fr. Creuzer hist. Kunst d. Griech. 2 Aufl Leipz. 1845 p. 319 — 331 [86]) Cf. Suidas s. v. *Ἔφορος*. Strabo lib. XIII Tom. v. p. 452 Tzsck. — [87]) Cf. Vossius l. l. p. 65. Marx l. l. p 20. sq. Mueller p. LVII et LVIII. — [88]) Cic. Brut. c. 56 Cf. Cic. de orat. lib. III. c. 9. Suidas s. v. *Ἔφορος*. [89]) Plut. Moral. (vit. Jsoc.) [89]) Plut. Moral. (vit. Jsoc.) p. 839. A.

ἱκανῶς περὶ τὸν ἄνδρα καὶ τὴν ὑπόθεσιν τῆς χρείας αὐτὸς ὑπεθήκατο. Nihil praeterea de vita fortunaque Ephori memoriae proditum est, nisi illud de quo docemur a Clemente Alexandrino (Strom. I. p. 403 ed. Pott.) eum etiam tum vixisse et in componendis historiis occupatum fuisse, quum Alexander Magnus in Asiam traiecisset, atque hoc alterum, quod Plutarchus[90]) tradidit, Ephorum quum ab Alexandro in hospitium invitatus esset, morem non gessisse. De scriptis iis, quae praeter historias Ephorus dicitur composuisse, nihil attinet dicere, praesertim quum non singulares libri, sed capita tantum historiarum fuisse videantur. De libris autem *περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν* et *περὶ παραδόξων τῶν ἑκασταχοῦ*, quos affert Suidas, verum vidisse post Marxium putandus est Muellerus (l. l. p. LXI). Excerpsisse, ait, nescio quis ea sibi ex Ephori historiis videtur, quae ad argumentum illud maximi facerent; fortasse Ephori nomen collectio illa prae se tulit, unde in promptu erat error.

Uti Theopompo, sic Ephoro quoque Isocrates, quum studium historiae scribendae excitasset, argumentum proposuit, quod naturae eius atque animo accommodatum esset[91]). Permotus igitur magistri auctoritate Ephorus antiquiorem Graeciae historiam sibi delegit enarrandam. Exorsus enim ab reditu Heraclidarum historiam et Graecorum et barbararum gentium usque ad vicesimum suscepti a Philippo regni annum persecutus est, quo Macedo ille Perinthum oppugnabat[92]). Continebantur autem res per DCCL ferme annos gestae libris triginta, quorum singulis prooemium erat praefixum[93]). Opus quod Ephorus imperfectum reliquerat, Demophilus filius absolvit[94]). Qui ubi disierunt, historiarum suarum, quae septem et viginti libris continebantur, initium fecit Diyllus Atheniensis; huius narrationem continuavit Psaon Plataeensis libris triginta[95]).

Quae argumenta in singulis Ephori historiarum libris tractata fuerint, ex fragmentis colligere et constituere conati sunt Meierus Marxius et Muellerus. Sed ea res est difficillima propter parvum numerum fragmentorum, quibus res gestae narrantur, quoniam multo maior eorum pars, quam Straboni debemus, ad geographiam pertinet. Nostra tantummodo interest hoc loco quaerere quonam Ephorus libro de Themistocle egisse videatur. Ephorus quippe qui ex rhetoris schola profectus esset, non sine magno artificio res distribuisse videtur. Postquam enim tribus libris prioribus enarraverat, quaenam rerum commutationes post reditum Heraclidarum tum in Peloponneso tum in reliqua Graecia effectae essent, resque Graecas usque ad Persicorum bellorum initia persecutus erat, libro quarto et quinto, ut rerum et illustrissimarum et gravissimarum, quas perscripturus erat, quasi scenam constitueret, omnes Europae, Asiae Africaeque terras, in quibus posteriorum aetatum res gerebantur, accuratius descripsit. Qua terrarum descriptione confecta libris qui sequebantur usque ad librum decimum res barbarorum, qui Asiae deinceps imperium tenebant, fusius persecutus esse videtur eo consilio, ut caussas explicaret, unde quasi enata essent bella Persica. Ita omnes sibi praemunivit vias, ut totus versaretur in enarrandis rebus gestis, quibus Graeci patriam in libertatem a Persarum dominatu vindicarunt. Quorum librorum pauca nobis supersunt fragmenta. Verum iam inter omnes constat Diodorum Siculum quum ubivis tum maxime in enarrandis

---

90) Plut. de Stoic. repugn. c. 20: *Ἔφορον καὶ Ξενοκράτην καὶ Μενέδημον ἐπαινοῦσι, παραιτησαμένους τὸν Ἀλέξανδρον.* — 91) Cf Photius l. l. — Cic. de orat. lib. III. c. 9. Quinct. X. 1. 74. — 92) Diod. Sic. IV. 1. XVI. 76. — 93) Diod. Sic. V. 1. — Strabo lib. VII. Tom. II. p. 368. Tzsch. — 94) Diod. Sic. XVI. 14. XXI. 5. exc. cf. Klinton fast. Hell. ed. Krueger. p. 135 et 191. — 95) Diod. Sic. XXI. 5. cf. Klinton l. l. p. 191.

rebus, quae bello Persico et Peloponnesiaco gestae sunt, Ephori vestigia enixe persecutum esse, narrationemque Diodori maxima ex parte Ephoream esse putandam[96]. Et hoc etiam pro certo haberi posse videtur, Plutarchum in conscribendis vitis virorum, qui illis temporibus floruerunt, multo plura, quam quae ipse indicaverit, ex Ephori historiis petiisse. In vita Themistoclis uno tantum loco (c. 27), quem iam supra commemoravimus, Ephori exstat nomen, ubi primum locum obtinet inter eos auctores, qui Themistoclem ad Xerxem regem venisse scripserant. Sed iam supra, ubi de Thucydide dictum est, Plutarchum in extrema vitae Themistocleae parte, ubicumque a Thucydide dissentit, Ephorum potissimum esse secutum suspicati sumus[97].

Reliquum est ut de fide Ephori et auctoritate dicamus. Uti de Theopompi sic de Ephori virtutibus iam veteres scriptores non unum et idem omnes senserunt. Acerbissimum laudum suarum obtrectatorem nactus est Ephorus Timaeum[98], qui vel levissima eius peccata conviciis notavit. Quod Timaei iudicium non magni aestimandum est, nam Timaeum, maledicendi studio abreptum, tum de Ephoro et Theopompo tum de multis aliis iniquissime iudicasse res est pervulgata ac trita[99]. Non maior debet esse auctoritas Alexini, Eubulidis discipuli, qui contra Ephorum scripsit, a criminandi libidine Ἐλεγξῖνος cognominati (Diog. Laert. II. 106, 110). Certe ex parte verum est iudicium Senecae (nat. quaest. VII. 16): Ephorus saepius decipitur, saepe decipit. Fragmenta enim perlustrantes invenimus multa quidem, quibus deceptus est Ephorus, sed nusquam reppereris quidquam, quo eum dedita opera decepisse cum religione iudicaveris.

Patrocinium Ephori susceperunt, eumque laudaverunt, sed non sine exceptione Polybius, Strabo, Diodorus, alii. Quale de Ephoro fecerit iudicium Plutarchus nusquam, ubi nomen eius apposuit, diserte est professus. In plerisque enim locis quibus nominatur Ephorus, sententia eius aliorum sententiis opponitur non addito iudicio quam Plutarchus ipse comprobaverit sententiam[100]; sed tamen eum in Ephori partem propensiorem esse facile nobis persuademus. In reliquis locis[101] quamquam contempsit ac sprevit ea, quae narraverat Ephorus, tamen Ephori permagnam fuisse apud Plutarchum auctoritatem, recte statuere nobis videmur.

Cap. VIII. De Theophrasto et Phania.

Ut de Theophrasto et Phania agamus coniunctim tum patria tum aetate eorum communi permovemur. Neque diversa fuit utriusque vitae ratio ac disciplina; sed ille hunc longe superavit eruditionis et ingenii fama ac gloria. Namque nati erant illi viri Eresi sive Eressi[102], quae erat urbi Lesbi insulae, et una audiebant Aristotelem. Is Theophrastum tanti fecit, ut eum, quum ipse corpore aegro et

---

96) Cf. Heyne de fontibus et auctoritate hist. Diod (praef. Diod. edit. Bipont.) Mueller l. l. p LX. Utinam Diodorus semper auctorem suum nominasset, Bella Medica et Peloponnesiacum tum non amplius, puto, a Diodoro, sed ab Ephoro narrata haberemus. — 97) Huius sententiae quasi firmamentum quoddam potest erui ex loco, qui est in libro de malign. Her. p. 855. F. ubi de proditionis consilio a Pausania cum Themistocle communicato Ephori verbis narratur idem, quod in vit Them. c. 23. fonte suppresso traditur. Unde hoc certe evincitur, Plutarchum Ephoro saepius, quam dixerit, usum esse. 98) Cf. Timaei fragm. ap. Muell l. l. Tom. I. p. 193 — 233. 99) Ut carperent malignitatem, Athenienses commutato nomine eum Ἐπιτίμαιον nominabant Cf. Polyb. XII. 23. — 100) Huius generis sunt loci vit. Timol. c. 4. vit. Pelop. c. 17. vit. Lys. c. 17. vit. Cim. c. 12. vit. Alcib. c. 32. — 101) Huc referendi sunt loci vit. Them. c. 27. vit. Pericl. c. 27. vit. Dion. c. 35. c. 36. — 102) Strabo lib. XIII. Tom. v. p. 431. Tauch. Ἐξ Ἐρέσου ἦσαν Θεόφραστος καὶ Φανίας, οἱ ἐκ τῶν περιπάτων φιλόσοφοι, Ἀριστοτέλους γνώριμοι.

tenui vitae spe esset, a discipulis consultus dignum haberet, quem deligeret successorem. Nomen ipsum debuisse eum Aristoteli praeceptori auctores sunt Strabo[103]), Diogenes, Laertius[104]) et Suidas[105]); eum enim tradiderunt cui anteo Tyrtamo nomen fuisset, propter divinam eloquentiam ab Aristotele vocatum esse Euphrastum, postea Theophrastum. Nec vero hic locus est ut de philosopho illo clarissimo accuratius fusiusque disseramus[106]). Inter scripta eius paene innummerabilia[107]) fuerunt nonnulla etiam de historia quorum in numero erant libri *περὶ βασιλείας*, ex quibus assumpsit Plutarchus (vit. Them. c. 25.) rem de Hierone et Themistocle narratam et bonorum Themistoclis publicatorum numerum[108]).

Sed de Phania[109]) scriptore non ita spectato paullo accuratius est disserendum. Aetas, qua floruerit, a Suida his definitur verbis: *Ἦν δ' ἐπὶ τῆς ρια' Ὀλυμπιάδος καὶ μετέπειτα ἐπ' Ἀλεξάνδρου τοῦ Μακεδόνος.* Redieritne in patriam ab Aristotele institutus, an totam vitam degerit Athenis et Chalcide, in qua urbe Euboeae philosophi peripatetici duce Theophrasto[110]) aliquamdiu exsulabant, ex iis, quae de Phania memoriae sunt prodita, nullo modo potest investigari. Argumenta eum non solum philosophica, sed ea etiam, quae ad historiam pertinent, tractavisse ex titulis librorum, qui commemorantur, videbis. Sunt autem hi: *Περὶ πρυτάνεων Ἐρεσίων*[111])· *περὶ τῶν ἐν Σικελίᾳ τυράννων*[112])· *τυράννων ἀναίρεσις ἐκ τιμωρίας*[113])· *περὶ ποιητῶν*[114])· *πρὸς τοὺς σοφιστάς*[115])· *περὶ τῶν Σωκρατικῶν*[116])· *πρὸς Διόδωρον*[117])· *περὶ φυτῶν*[118]). Has librorum inscriptiones uni fere Athenaeo debemus qui ex omnibus scriptoribus saepissime Phania auctore usus est[119]). Plutarchus Phaniam attulit non nisi bis in vita Solonis (c. 14. c. 32), quinquies in vita Themistoclis (c. 1. c. 7. c. 13. c. 27. c. 29). semelque in moral. de defect. orac. c. 23. Nec vero ullo in loco libros nominavit, unde sua hauserit, neque quidquam, quo illius facultatem et fidem describeret, apposuit exceptis his verbis (vit. Them. c. 13): *Ταῦτα μὲν οὖν ἀνὴρ φιλόσοφος καὶ γραμμάτων οὐκ ἄπειρος ἱστορικῶν Φανίας ὁ Λέσβιος εἴρηκε.* Phaniae libros ea qua citantur inscriptione supra contulimus eo consilio, ut animo possis diligenter perpendere ac iudicare quonam ex libro Plutarchus sua petiisse videatur. Consideranti enim unumquemque librorum istorum contemplantique mihi nullo modo potui persuadere, ex uno aliquo, quemcumque volueris, fuisse ea, quae de Themistocle ex Phania attulit Plutarchus. Illos quidem locos, qui sunt in vita Solonis, petitos esse ex libro, qui inscribitur *περὶ πρυτάνεων Ἐρεσίων,* non temere affirmari posse videtur, si quidem cum Eberto (Diss. Sic. p. 86.) et cum Boeckhio (ad marm. Par. in. c. inscript. II. p. 305)[120]) opus illud existimamus ex genere annalium fuisse similiter atque Charonis *Πρυτάνεις ἢ ἄρχοντες Λακεδαιμο-*

[103]) Strabo l. l. [104]) Diog. Laërt. V. 38. — [105]) Suidas s. v. *Θεόφραστος.* [106]) De Theophrasto fusius egit Diog. Laërt. V. 36. seq. — [107]) Titulos librorum Theophrasti diligentissime congessit digessitque I. Meursius in singulari libro: Theophrastus sive de eius libris, qui iniuria temporis interierunt. — Vossius l. l. p. 75. — [108]) In aliis quoque vitis Plut. usus est Theophrasto: vit Arist. c. 25. vit. Alc. c. 10. vit. Dem. c. 10. c. 17. vit. Lyc. c. 10. vit Sol. c. 4. c. 31. vit. Pericl. c. 23. c. 35. c. 38. Vit. Lys. c. 13. c. 19. vit. Nic. c. 10 c. 11. vit. Ages. c. 2. c. 36. vit. Alex. c. 4. vit. Cat. c 37. vit. Agid. c. 2. — [109]) De Phania scripserunt: I. F. Ebert diss. Sicul. Plehn Lesbiaca Berol. 1826, quibus libris uti non potui. — Vossius l. l. p. 84. Mueller l. l. Tom II. p. 293 — 301. — [110]) Cf. Diog. Laërt. V. 37. 38. — [111]) Laudatur ab Athenaeo VIII. p. 333. A. ed. Com. [112]) Athen. VI. p. 231. E. [113]) Athen. III. p. 90. E. [114]) Athen. VIII. p. 352. C. [115]) Athen. XIV. p. 638. R. [116]) Diog. Laërt. VI. 8. — [117]) Alex. Aphrodis. in Exc. Gr. ap. Brandis. De perditis libr. Aristot. De ideis et de bono p. 18. (ap. Muell. l. l. p. 300). [118]) Athen II. p. 61. F. et saepius. [119]) Ex quadraginta fragmentis, quae aetatem tulerunt, viginti apud Athenaeum exstant. — [120]) Non movent me Muelleri (l. l. p. 293) verba dicentis minime probabile esse quemquam Theophrasti aetate Atheniensium historiam secundum seriem prytanum Eresiorum libri adornasse indeque petiisse inscriptionem. Nam cur tale quid statuas nulla est causa.

νίων. Nam utriusque loci caput in temporum descriptione versatur non ita remotissima ab argumento, quod tractandum sibi elegerat Phanias in libro de prytanibus Eresiorum[121]). Sed longe alia est ratio earum rerum, quae e Phania petitae apud Plutarchum leguntur in vita Themistoclis. Capite enim primo, ubi de matre Themistoclis sermo est, Phaniae sententia ab aliorum scriptorum narratione diversa exstat haec: non Thraciam eius, sed Cariam fuisse patriam. Capite septimo, ubi de rebus ad Artemisium gestis agit Plutarchus, Phaniae verbis usus dolum quemdam memoriae prodit, quo Themistocles Architelem, praefectum sacrae triremi, consiliis suis repugnantem in suam adduxerit sententiam.

Capite tertio decimo haec Phaniae exstat narratio: ante pugnam Salaminiam Themistoclem sacra commodum facientem, quum tres capti Persae essent adducti, Euphrantide haruspice suadente a Graecis coactum esse, ut immolaret istos iuvenes Baccho *ὠμηστῇ*.

Capite septimo et vicesimo colloquium illud memoriae proditum est, quod Phania auctore Themistocles in Asiam transvectus cum Artabano regis chiliarcho habuisse dicitur. Capite denique undetricesimo Phanias et Neanthes Cyzicenus auctores citantur huius sententiae: Themistocli regem praeter tres illas urbes, quae vulgo nominantur, duas alias Percoten et Palaescepsim, ad vestem stragulam et amictum concessisse. Quid quod ista, quae ex Phania sunt desumpta, totius vitae Themistocleae memoriam complecti videntur et comprehendere? Tum non est quod commemorem res eas, quas a Phania petitas apposito nomine testatur Plutarchus, esse eiusmodi, ut vel singula quaeque persecutus esse videatur Phanias in libro illo, quo usus est Plutarchus. Accedit quod Phanias a Plutarcho excepta Solonis vita nusquam nisi in vita Themistoclis laudatur. Quibus nixus argumentis haud longe a vero aberrare mihi videor, si coniecero Phaniam praeter illos qui afferuntur, libros composuisse scriptum „*περὶ βίων*," vel, quod malim, librum scripsisse, quo separatim de Themistoclis vita fatisque disseruerit, atque hoc libro Plutarchum in vita Themistoclis conscribenda multo pluribus, quam ipse indicaverit, locis usum esse. Ad confirmandam hanc coniecturam hoc quoque iuvat attulisse: illud historiae scribendae genus, quod ad ingenia moresque virorum illustrium adumbranda spectat, inter Aristotelis discipulos usitatissimum fuisse ex eo intelligitur, quod spectatissimus quisque[122]) philosophorum peripateticorum auctor librorum *περὶ βίων* citatur.

Cap. IX. De Dinone et Clitarcho.

De Dinone[122]) quoque et Clitarcho[123]) quae mihi videntur dicenda eadem disputatione paucis licet absolvere. Fuit enim Dino Clitarchi, celebrati scriptoris, pater quae verba sunt Plinii nat. hist. X. 49, 70. et a Plutarcho quoque (vit. Them. c. 27) alter post alterum una cum aliis rerum scriptoribus citatur illius auctor sententiae, ex qua Themistoclem Xerxe etiamtum vivo in Asiam profugisse perhibebant

[121]) Theophrastus citatur auctor lib. *περὶ βίων* ap. Diog Laërt. V. 42; Cf. Vossius l. l. p. 75. Aristoxenus Tarentinus scripsit *βίους ἀνδρῶν* teste Plutarcho (non posse suaviter vivi secundum Epicurum c. 10). Cf. Vossius l. l. p 77. — Heraclidis Pontici libri *περὶ βίων* commemorantur ap Diog. Laërt. V. 87; Cf. Vossius l. l p. 78. — Dicaearchi Messenii lib primus *περὶ βίων* affertur a Diog. Laërt. III. 4. Cf. Vossius l. l. p. 81. — Clearchus auctor vitarum saepius profertur ab Athenaeo; cf. Vossius l. l. p. 83. [122]) De Dione cf. Vossius l. l. p. 68 — Heeren de fontibus et auctorit p. 95 96. — Mueller l. l. Tom II p. 88 – 95. — [123]) De Clitarcho cf. Vossius l l. p. 90 R. Geier Alex M. historiarum scriptores aetate suppares. Lips. 1844. p. 151 – 190. Creuzor hist. Kunst d. Gr. 2. Aufl. p. 374—376.

scriptores posterioris aetatis[124]). Plutarchum praeter locum, quem indicavimus, in vita Themistoclis aliis locis illos historicos secutum esse verisimile non est. Namque satis apparet l. l. eum omnium scriptorum qui de rebus Persicis scripserant, evolvisse libros hac mente, ut rem controversam de tempore, quo Themistocles in Asiam venisset, accuratius examinaret ac pertentaret.

De utriusque patria[125]) vita fatisque paene nihil in notitiam nostram perlatum est. Dino Ephori et Theopompi prope aequalis edidit librum de rebus Persicis, qui satis magnus fuisse videtur distributusque in tres partes sive *συντάξεις*[126]), quae singulae plures continebant libellos. Primam earum Assyriorum, alteram Medorum, tertiam Persarum res continuisse auguratus est Muellerus (l. l. p. 88.). Sed et ea de re et de tempore, ad quod Dino historiam deduxerit, ex fragmentis, quae aetatem tulerunt, recte iudicare vix poteris[127]). Auctor probatae fidei habitus est Dino apud veteres. Quid quod Cornelius Nepos in vit. Con. extr. ei se plurimum de Persicis rebus credidisse professus est? Plutarchus quoque, qui Dinonem in vit. Alex. et Artax. saepius commemoravit, de fide eius atque auctoritate bene existimasse videtur; saepe enim Dinonis narrationem iis, quae Ctesias memoriae tradiderat, ita opposuit, ut Dinoni maiorem, quam Ctesiae fidem tribuisse eum facile intelligas. Ex fragmentorum perparvo numero de toto libro coniecturam facere lubrica sane est iudicandi ratio. Quod si non ita esset, acrius fortasse de huius scriptoris virtute et fide faceremus iudicium. Nam ea quae a Dinone memoriae prodita exstant apud Plutarchum aliosque scriptores non sunt ita comparata, ut omni ex parte veritatis aut saltem probabilitatis ratione habita possint comprobari. Quam ob caussam haud scio an Muellerus (l. l.) verum invenerit dicens verendum esse ne Ctesiae, auctori sane non optimo, obloquendi et detrectandi studio auctoritatem Dino apud multos sibi pepererit, atque verisimile esse Dinonem non tam propter acumen iudicii, quam propter rerum narratarum abundantiam et orationis fortasse elegantiam placuisse.

Neque magis probata est auctoritas et fides Clitarchi filii, qui Alexandri M. aequalis atque, uti existimant nonnulli[128]), expeditionum comes rerum ab Alexandro gestarum historiam scripsit. Hanc apud Romanos a multis lectitatam esse, ex eaque Q. Curtium Rufum[129]) plurima hausisse inter viros doctos constat. Sed Romanorum ii, qui ingenii acumine florebant, Clitarchum, ut auctorem malae fidei notaverunt. Sic Cicero de legibus I. 2: Sisenna neque orator in numero vestro unquam est habitus, et in historia puerile quiddam consectatur: ut unum Clitarchum, neque praeterea quemquam de Graecis, legisse videatur; eum tamen velle dumtaxat imitari; quem si assequi posset, aliquantum ab optimo tamen abesset. Idem ab eodem Cicerone (Brut. c. 11.), ut auctor rerum commenticiarum avidissimus, deridetur his: Ut tu nunc de Coriolano, sic Clitarchus, sic Stratocles de The-

---

